



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Decretum indifferens subtrahit à Deo rationem causæ primæ,
respectu determinationis liberæ nostræ voluntatis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

sequi consensum ex tali auxilio antecederet se habente ad illum. Atqui est impossibile non moraliter tantum, sed etiam metaphysicè & simpliciter. Deum falli. Ergo est quoque metaphysicè & simpliciter impossibile, non sequi consensum ex tali auxilio. Ergo illud auxilium inducit necessitatem antecedentem, non moralem tantum, sed metaphysicam & absolutam, adeoque repugnat libertati; quia tollit indifferentiam voluntatis, & potentiam ad oppositum.

Gratiam quoque sufficientem de medio tollit, assignans pro gratia verè sufficiente, gratiam planè insufficientem. Quod de morali insufficientia manifestissimum est, & amplius confirmatur; quia cum tali gratia sola, est moraliter impossibile bene operari. Dicitur enim esse moraliter impossibile id quod adeò difficile est, ut nemo illud faciat. Quare sicut prior sententia negat dari auxilium physicè sufficiens: ita hæc negat evidentè dari sufficiens moraliter. Quorum utrumque alienum esse mihi videtur à sincera Dei voluntate salvandi omnes homines, & eos præcipuè quos per gratiam sanctificantem jam in filios & regni sui heredes adoptavit, minimeque consentire cum supra dictis Scripturæ protestationibus, Quid ultra debui facere vineæ meæ & non feci? An quia expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Isaia 5. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Matth. 23. Nunquid enim responderi jure posset agricola, vel domino vineæ qui sic loqueretur: Frustra expectasti ut faceret uvas, adhibita tantum eâ culturâ, cum qua neque unquam ulla alia vinea ab orbe condito fructum tulit, neque physicè aut moraliter possibile erat ut ferret; & debebas aliquid ultra facere, ut prudenter & rationabiliter fructum ab illa sperares? An verò etiam convenit tanto desiderio congregandi filios Jerusalem, & affectus tam sollicito, qualis est affectus gallinæ erga pullos suos, vocare tantum & juvare iis auxiliis, quibus physicè & moraliter impossibile erat eos congregari, nec quisquam hominum ita præventus & vocatus, congregare volenti se adjungeret?

Ex quo Patris Martinoni discursu liquet, vel duo illa argumenta ex libertatis læsione, & gratiæ sufficientis exclusionem, desumpta, quibus Adversarij decreta efficacia & prædeterminantia impetunt, & quæ apud ipsos palmaria sunt, nihil prorsus valere; vel si concludant, iis pariter convelli gratiam congruam, quam Suarez, Vazquez, aliique Recentiores admittunt.

ARTICVLVS III.

Absurdis & inconvenientibus, decreta indifferentia exploduntur.

Innumera ferè sunt absurda & inconvenientia, quæ sequuntur ex decretis illis indifferentibus, & conditionatis, quæ Molina, Suarez, Lessius, & alij Recentiores fingunt in Deo, quæ imaginationi quidem speciosa sunt, sed rationi prorsus invisa: unde sicut Lessius decreta prædeterminantia Thomistarum ferrea vocat, ita æquo jure decreta indifferentia illorum Recentiorum, vitrea possumus appellare; ut enim verbis Augustini utar: quasi lucent vanitate, sed franguntur veritate, ut patebit ex dicendis paragraphis sequentibus, ubi graviora quæ ex illis sequuntur absurda & inconvenientia colligemus.

Serm. 11.
de ver.
bi. Apo.
stoli.

§. I.

Decretum indifferens subtrahit à Deo rationem causæ primæ, respectu determinationis liberæ nostræ voluntatis.

Probatur multipliciter. In primis enim, cum determinatum & indifferens inter se opponantur, sicut frigidum & calidum, album & nigrum: quemadmodum repugnat calidum produci à frigido, album à nigro, & unum contrarium ab alio, ita & determinatum ab indifferenti. Unde dicit Commentator 2. physic. textu 48. à principio indifferenti, ut indifferens est, non exit actus determinatus, nisi ab aliquo determinetur ad unum. Idem docet S. Thomas 3. cōtra Gentes cap. 2. Secundò, Nulla causa supponit vel expectat suum effectum, sed potius illum causat & prævenit, prioritate saltem causalitatis & nature: Atqui decretum indifferens supponit vel expectat determinationem liberi arbitrij creati, ut determinatè in actus nostros influat, sicut docent Adversarij: Ergo illam non causat.

Tertiò, Si decretum illud talem determinationem causaret, non esset amplius indifferens, sed determinans, imò & prædeterminans; quia illam prioritate saltem nature antecederet, cum omnis causa sit prior saltem nature suo effectui: Sed hoc repugnat: Ergo implicat contradictionem, liberi arbitrij determinationem à decreto indifferenti causari.

Quartò, Nulla causa à suo effectu tanquam à conditione dependet: Sed decretum illud indifferens quod in Deo fingunt Adversarij, & quod Suarez, Lessius, Molina, & alij volunt esse conditionatum, dependet à determinatione liberi arbitrij, tanquam à conditione quam expectat, & per quam purificatur, & transit in absolutum, ut illi docent: Ergo illam non causat.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Voluntas conditionata nihil causat, nisi purificatâ conditione: Sed hæc volitio, volo concurrere ad hunc actum, si voluntas Petri consenserit, vel se determinaverit, est conditionata, & dependens à consensu & determinatione Petri, ut à conditione: Ergo nihil potest causare, nisi purificatâ tali conditione; hoc est supposito consensu, & determinatione voluntatis Petri: Ergo divina voluntas istum consensum & determinationem non causat, sed supponit causatam à voluntate Petri.

Confirmatur amplius: Si determinatio libera nostræ voluntatis possit intelligi cum fundamento in re, antecedens aequaliter concursum primæ causæ, non dependet ab illò: Sed juxta principia Adversariorum, intelligi potest cum fundamento in re, in aliquo signo rationis, aliqua antecessio determinationis nostræ liberæ ad actualem Dei concursum: Ergo in sententia Adversariorum, libera nostra determinatio, ex proprio conceptu, non habet essentialem dependentiam à concursu & cooperatione causæ primæ. Major constat: dependens enim ut tale, nequit intelligi antecederet ad id à quo dependet. Minor autem probatur: Juxta principia Adversariorum, consensus seu determinatio voluntatis creatæ, determinat divinum concursum, quantum ad speciem actus: Sed determinans, ut tale, debet præcedere id quod determinatur, saltem prioritate nature, quia ad illud comparatur ut forma: Ergo si determinatio voluntatis creatæ, decretum & concursum Dei ad speciem actus determinat, illum aequaliter præcedit,

præcedit, & per consequens illius causalitatem sub aliqua ratione subterfugit.

60. Recentiores quidam, ut ab his sese expediant argumentis, ad responsionem omnino absurdam coguntur confugere, & ut communiter dicitur, à Carybdi in Scyllam incidere. Dicunt enim, liberam nostræ voluntatis determinationem, non causari à Deo proximè & immediatè, sed immediatè tantùm & remotè, quatenus scilicet dedit voluntati creatæ liberum arbitrium, & facultatem se determinandi ad quodcumque voluerit. Et addunt, talem determinationem non esse aliquam entitatem, aut realitatem à voluntate distinctam, sed solum quandam formalitatem, vel quandam modum entis, ab illa realiter distinctum, ac proinde nullum esse inconueniens concedere, illam non causari à Deo immediatè.

61. Sed in primis hæc responsio incidit in sententiam Durandi, negantis immediatum Dei influxum in actiones causarum secundarum, quam tamen illi Authores cum Thomistis rejiciunt, & tanquam erroneam vel temerariam proscribunt, unde illi parùm consequenter loquuntur ad sua principia.

62. Secundo, Libera determinatio nostræ voluntatis ad bonum honestum, & rationi consonum, est aliqua perfectio simpliciter simplex, ut constat, cum sit melius & perfectius eam habere, quam illa carere: Ergo debet immediatè à Deo tanquam à prima causa, & primo boni honesti auctore procedere. Consequentia patet: Quia omnis perfectio simpliciter simplex oritur immediatè à Deo, tanquam à prima causa, & primo principio: juxta illud Jacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.*

63. Tertiò, Talis determinatio est quedam libertas actualis à Deo participata: Sed quod est tale per participationem, debet immediatè dependere & causari ab eo quod est tale per essentiam: Ergo libera determinatio nostræ voluntatis, non potest subterfugere immediatam Dei causalitatem & dependentiam.

64. Quartò, Divina voluntas (ut supra ostendimus ex D. Thoma 1. Perhierm. lect. 14.) est intelligenda extra ordinem entium existens, velut causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias, & modos: Sed libera determinatio nostræ voluntatis est saltem quidam modus entis, esto non sit entitas, vel realitas ab entitate voluntatis distincta: Ergo debet intelligi ut immediatè fluens & emanans à voluntate Dei libera, & per aliquod decretum determinata. Unde dicit S. Doctor ibidem, quod *ex ipsa voluntate divina originantur necessitas & contingencia in rebus.* Et in hac parte quæst. 22. art. 4. ad 5. *Considerandum est, inquit, quod necessarium & contingens proprie consequuntur ens, in quantum hujusmodi: unde modus contingencie & necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis, non autem sub provisione aliquorum particularium provisorum.*

65. Quintò, Cum providentia Dei sit causa rerum provisarum, ad ea solum se extendit ad quæ fertur ejus causalitas: Ergo si Dei causalitas non se extendat ad liberam nostræ voluntatis determinationem, illa eximetur ab ordine divinæ providentiæ & prædestinationis, & consequenter erit casualis & fortuita respectu Dei, & præter intentionem illius: Sed hoc absurdum & erroneum est, ut docet D. Thomas 3. contra Gent.

Tom. I.

A cap. 89. ubi impugnat quosdam antiquos Philosophos: *Qui, inquit, non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis, dixerunt quod Deus causat in nobis velle, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic quod faciat nos velle: unde dicebant quod providentia non est de his quæ subsunt libero arbitrio, scilicet de electionibus, sed quod illa solum refertur ad exteriores eventus.* Quem errorem ibidem & capite sequenti multis rationibus impugnat: Ergo &c.

B Sextò, Determinatio nostræ voluntatis ad credendum mysteriis revelatis, est supernaturalis; & primum nostræ fidei, ac justificationis exordium, ut habetur in Tridentino sess. 6. cap. 6. Sed omne quod est supernaturale, & totum ordinem naturæ transcendit, debet immediatè à Deo causari, ut constat. Item primum nostræ fidei & justificationis exordium, debet immediatè oriri à Deo, & à gratia præveniente, non verò à natura, & à libero arbitrio, ut contra Semipelagianos in Concilio Arausicano 1. can. 5. definitum est: Ergo libera nostræ voluntatis determinatio, immediatam Dei causalitatem & efficientiam subterfugere nequit.

C Neque possunt recurrere Adversarij ad gratiam moraliter excitantem, ut salvent immediatam Dei causalitatem & efficientiam, respectu determinationis voluntatis nostræ ad credendum, vel diligendum Deum. Tum quia, ut alibi ostendimus, talis gratia indifferenti modo offertur voluntati, & à voluntate creatæ determinatur & applicatur ad agendum, ut docent Adversarij. Tum etiam, quia illa non influit realiter & physice in consensum, & determinationem nostræ voluntatis, sed moraliter tantum & objectivè, ostendendo scilicet objecti bonitatem & convenientiam. Unde ejus causalitas est solum metaphorica, & magis pertinet ad genus causæ finalis, quam efficientis.

D Denique in eo mirabiles se præbent illi Recentiores, quòd quando impugnant Thomistas, & invehuntur in physicam prædeterminationem, tanquam libertati contrariam, eique (ut aiunt) ultimum vulnus infligentem: mira proferunt de libertate hominis, ac de libera voluntatis nostræ determinatione; eamque mirum in modum extollunt, & magnificant: dicunt enim illam esse præcipuam hominis excellentiam ac prærogativam, per illam homines differre à brutis, æquari Angelis, assimilari Deo, dominari in cæteras creaturas, & præesse, ut dicit Scriptura, piscibus maris & volatilibus cæli. Demum cum D. Bernardo asserunt quòd arbitrij libertas est plane quid divinum, præfulgens in anima tanquam gemma in auro: quæ omnia sine dubio verissima sunt ac certissima. Verùm quando urgentur à Thomistis, & quando Thomistæ in eos argumentum retorquent, & dicunt quòd si determinatio libera nostræ voluntatis est adeò perfecta & excellens, & quidam divinæ libertatis effluxus & participatio, debet à Deo tanquam à primo fonte totius perfectionis & libertatis effluere, atque ab eo immediatè causari, & consequenter per concursum prævium, seu prioritate saltem naturæ, determinationem illam liberam nostræ voluntatis antecedentem, cum omnis causa sit prior, saltem naturà, suo effectu: statim canunt palinodiam, & ut vim hujus argumenti effugiant, ita deprimunt ac deiciunt eandem nostræ voluntatis determinatio-

L L I

nem, in qua libertas ejus actualis consistit, ut dicant illam non esse aliquam entitatem, aut realitatem in rerum natura existentem, sed solum quemdam modum seu formalitatem entis, ac propè nihil; subindeque nullum esse inconueniens illam eximere & subtrahere ab immediata Dei dependentia & causalitate. Quare meritò illis Authoribus illud Propheta Regij Psalm. 106. adaptari potest: *Ascendant usque ad celos* (liberam nostram voluntatis determinationem mirum in modum extollendo) & *descendant usque ad abyssos*, illam deprimendo ac deiciendo usque ad nihilum.

Argumentum ergo resumo, & quero ab Adversariis, an libera nostra voluntatis determinatio sit aliquid in rerum natura existens, vel nihil: Si est aliquid, debet à Deo immediate causari, cum Deus sit creator omnium visibilium & invisibilium, ut in primo Symboli nostrae fidei articulo profitemur. Quòd si à Deo immediate causatur: Ergo Deus praeuè in illam influit, & non tantum simultaneè: cum omnis causa sit prior naturà, & causalitate suo effectu: si autem illa determinatio nihil sit, non potest à Deo tolli, destrui, aut laedi per physicam praedeterminationem; atque ita talis praedeterminatio erit innoxia, & immunis à crimine laesae libertatis, quòd illi imponunt Adversarij, subindeque omnia illorum argumenta sponte liquefcent, & in fumum & auras evanescent.

§. II.

Alia inconuenientia exponuntur.

Præter inconueniens jam expositum, quòd præcipuum est, & veluti capitale, plura alia adduci solent à nostris Thomistis, quæ breuiter attigimus Tractatu præcedenti, impugnando scientiam mediam, unde latius hic expendenda & exponenda sunt.

63. Secundum ergo inconueniens petitur ex eo quòd decreta illa indifferentia tollunt, vel saltem valde limitant supremum & absolutum Dei dominium, in voluntatem & cor hominis, quòd ut ait Scriptura Proverb. 21. ita in manu ejus est, ut quocumque voluerit, vertat illud. Sic ergo potest in forma proponi argumentum. Si Deus circa nostros actus liberos habeat decreta purè indifferentia, & expectantia consensum & determinationem nostrae voluntatis, sequitur Deum circa nostros actus liberos non habere tam perfectum & absolutum dominium, quam voluntas creata, vel etiam quam ipse Deus habet erga actiones & effectus causarum naturalium: Consequens est absurdum: Ergo & Antecedens. Minor manifesta est. Tum quia, ut ait Augustinus de correptione & gratia cap. 14. *Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*: Ergo habet non solum æquale, sed etiam majus & perfectius dominium in nostros actus liberos, quam habeat ipsa voluntas creata. Tum etiam quia in quamlibet rem creatam, hoc ipso quòd ens creatum est, habet Deus summum jus, & ipsa res creata summam dependentiam à Deo, ut de ipsa, & in ipsa faciat quid voluerit: Sed actus nostri liberi, etiam in ratione liberi, & prout egrediuntur à voluntate creata, sunt aliquid creatum: quia ratio necessarii vel liberi in causis creatis, non est aliquid factum, vel ens rationis, aut nihil, sed entitas aut modalitas realis: praesertim cum libertas sit

A perfectio simpliciter simplex, & fundetur in amplitudine & elevatione creaturae spiritualis supra corpoream, ut disp. 3. art. 1. latè exposuimus: Ergo absurdissimum est, minorem causalitatem, aut dominium ponere in Deo respectu nostrorum actuum liberorum, quam in voluntate creata, vel quam respectu actuum & effectuum causarum naturalium.

Sequela verò Majoris, quantum ad primam partem, probatur. Voluntas creata ratione perfecti dominij quòd habet in suos actus liberos, potest, illasà & incolumi sua libertate, scipsam liberè determinare, & talem determinationem incipere, nec debet illam supponere, vel expectare ab alia causa creata: Ergo si Deus non possit idem praestare, & facere sine laesione libertatis, ut à voluntate creata incipiat, & exeat talis determinatio, sed eam debeat à libero arbitrio expectare, & veluti emendicare, evidens est quòd non habeat tam perfectum & absolutum dominium in nostros actus liberos, quam ipsa voluntas creata, & quòd magis habeat homo in manu sua voluntatem suam, quam Deus, quæ est contradictoria propositionis S. Augustini, asserentis quòd *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*.

Probatur etiam sequela Majoris, quantum ad secundam partem. Deus ita dominatur causis non liberis, & illas ita dependent à Deo ad suos effectus producendos, quòd Deus non expectat determinationem illarum, sed causat illam, & efficaciam antecedentem habet in talium causarum cooperationem, ut non negant Authores oppositi: Ergo si Deus salvà & illasà nostri arbitrij libertate, non possit habere decreta ex se efficacia circa nostros actus liberos, nec causare consensum & determinationem liberi arbitrij, sed illam debeat supponere vel expectare à voluntate creata, minus dominij habebit in illam, quam in alias causas non liberis.

Non latet Authores oppositos rationis hujus efficacia, ideòque eam duobus modis infringere & enervare conantur. In primis aliqui absolute negant, quòd divina majestas habeat idem vel æquale dominium in voluntates hominum, ac in cetera omnia quæ sub caelo sunt: alias, inquirunt, sicut respectu aliorum, tale habet dominium, ut omnia illa vertat quocumque voluerit, sine libertate eorum: ita etiam haberet dominium in voluntatem nostram, ut eam verteret quocumque ipse voluerit, absque ejus libertate: quòd naturæ & conditioni illius repugnat, cum sit potentia libera, & sui actus dominativa. Unde duplex in Deo dominium distingunt: unum absolutum & despoticum, quale habet supra res naturales. Alterum politicum & civile, quòd tantum volunt Deum in voluntates hominum habere.

E Alij verò respondent, quòd licet Deus habeat in nostras voluntates supremum & absolutum dominium, sicut in cetera omnia, non tamen sequitur quòd possit per decretum antecedens, & de se efficax, determinare voluntatem ad suos actus liberos eliciendos. Quia cum actus liberi procedant à potentia indifferenti ad utrumlibet, ut fiant, Deus debet servare jus talis potentiae indifferentis, & supponere, vel expectare ejus determinationem & consensum, ac proinde concurrere cum illa per decretum indifferens & conditionatum, à voluntate humana, quantum ad speciem actus, determinabile.